Bibliothèque numérique

medic@

Maurin, Jean - candidat / Riolan, Jean - président. - An proptermotum sanguinis in corde circulatorium, Mutanda Galeni Methodus medendi ?

1645.
Paris
Cote : ms 77 n°939

PARIS biu Santé

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x06x0939

DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS IX. FEBRVARII,

M. IOANNE RIOLANO, Doct. Medico, moderatore, Prof. Reg. Decano, Reginæ matris Reg. Lud. 13. Primario Medico & poſtremo.

An propter motum ſanguinis in corde circulatorium, Mutanda Galeni Methodus medendi? 939.

TANTA eſt maioris Mundi & minoris, ſcilicet Hominis inter ſe ſimilitudo, vt quidquid in maiore mundo reperitur, id omne in minore deprehendatur. Sed præ cæteris admirabilis occurrit Cordis ad Solem analogia, mutatis ac inuicem mutuatis nominibus, dum Sol cor mundi dicitur, & viciſſim cor Sol hominis. Etenim cor æthereo calore, ſitu medio, motu perpetuo, ſanguinis & ſpirituum generatione, eorumdem fluxu & irradiatione, exquiſitè ſolis naturam æmulatur, imò ſuperat, adeoque inter partes corporis nulla obſeruatur tanto artificio tantóque apparatu exornata, vt principium, ac domicilium vitæ in ſe contineret tanquam primum viuens & vltimum moriens, atque fundamentum exiſteret omnium corporis partium, ſiquidem in conformatione & corporatura cordis, omnes corporis partes ſimilares, ipſique muſculi reperiuntur, ac ſi deberent ei ſuum ortum & hyparxim, reliquæ organicæ vitam, agendi vim & motum inde repetunt.

VT autem cor ſuo fungatur officio motricem facultatem, ſiue pulſificam obtinuit, harmonicè muſicali modulo ſalientem, ſibi congenitam, arteriis adſcititiam, ab ipſo corde inſpirantem & emanantem, quæ ipſum dilatat in diaſtole, conſtringit in ſyſtole, quieſcere facit in periſyſtole. Cum ſit excauatum, ad excipiendum & emittendum mouetur, iſtius motionis continuitas non poteſt eſſe abſque materia; vt in pneumaticis & hydraulicis organis, nec alia eſt, quam aër & ſanguis per cordis cauitates reuolutus, ad motus perennitatem, caloris natiui conſeruationem, & corporis nutritionem. Defertur autem per venam cauam, in dextrum cordis ſinum, ibi per medium eius ſeptum immobile ac peruium, pars craſſior ſecundum venam arterioſam in pulmones ablegatur ad nutritionem, habétque reuerſionem in cauam dum regurgitat, pars tenuior in ſiniſtrum ſinum illiquitur, vertenda in ſanguinem arterioſum puriſſimum, inde ſecundum aortam deductus, in artus per mutuas anaſtomoſes vaſorum ab arteriis in venas, ex ſe ſanguiſorbas tranſuatur, vt iterum recurrat ad cor tanquam ad fontem, & principium ſuum, more aquarum, quæ aſcendunt vſquequò principium ſui ortus æquauerint, modò marginibus contineantur.

VERVM nequaquam vniuerſi corporis ſanguis circumfluus, quotidie bis terue, ad cor remeat circulandus vel ſemel intra horæ ſpatium, vt nonnulli audaciores aſſeuerant, cum vtrumque ſit abſurdum & impoſſibile, quandiu ſanum eſt corpus & alitur, ſed in magnis inediis, ſi corpus iam extenuatum, per duos treſue dies alimento defraudetur, vel in largo ſanguinis diſpendio, ſponte vel arte facto ad decem, vel duodecim libras, intra duodecim horas abſque vlla reparatione, tunc totus fermè ſanguis ter, vel pluries ad conſeruationem caloris natiui, motus cordis continuationem, atque ſpirituum reſtaurationem poteſt circulari. At in ſanis corporibus intra diem ſemel aut bis pro quantitate alimenti aſſumpti, & vacuationis excrementorum, ſanguinis illius redit labor actus in orbem, qui in canalibus venæ cauæ, & aortæ, à iugulo vſque ad artus directè porrectis concluditur, qui vero tubulis venæ portæ coercetur, qui in vaſa minora tam cauæ, quam aortæ diffuſus eſt, qui ad cerebrum peruenit, non recurrit ad cor niſi violenter raptus, in ſumma inopia ſanguinis canalium maiorum aortæ & cauæ, vel œſtro quodam percitus, proſilit extra ſua conceptacula, nuſquam in cauam, attamen dum exuberat depletur per loca conuenientia. In muliere grauida, ſanguis fœtus fermè totus remigrat verſus cor matris, donec cor perfectè fabricatum fuerit, tuncque placenta carnea exceptus, & ſeparatus à ſanguine materno, quamuis ab vtero hauſtus, per canales maiores cauæ & aortæ propriam habet circulationem, cuius ope aliquandiu, viuit extincta matre, tamque celeriter extrahendus cæſo matris vtero, vt eius vita conſeruetur, quam interdum cogitur rependere pro matris incolumitate, alioquin matricida ni moriturus.

PER iſtam circulationem ſanguinis ſic explicatam, Medicina Galeni ſarta tecta & inuiolata conſeruatur, tam in procreatione ſanguinis, quam in productione morborum, ratione cauſarum, & locorum: Etenim ſanguinis alimentarij elaborati, etiam ſpiritu naturali impregnati primarium inſtrumentum hepar conſtituitur, ſecundarium cor, præſertim ſanguinis directè ad ipſum, ab hepate vel ex trunco cauæ aſſiduè perlabentis, quem arterioſum & viuificum reddit, ſigillū vitalitatis impertiendo, per caloris & ſpirituum perfectionem. Inde duplex ſanguis venoſus & arterioſus ratione loci, ſubſtantiæ, & contrarij motus ſpecie differens. Vterque alimentarius, ſed venoſus abſque arterioſo, perfectè non poteſt nutrire; quod præſtat ſolus arterioſus. Excrementa ſanguinis in hepate ſecernuntur, & ad ſua quæque loca demandantur, vbi morbos excitare ſolent: Ac proinde febrium intermittentium materia, & ſedes, non interpolantur, neque continuæ. Medendi ratio haſtenus inſtituta retinetur, ſeruatis tamen quibuſdam diorismis, ad bene medendum neceſſariis, ob continuum ſanguinis venoſi canalium maiorum recurſum ad cor, & venæ portæ, ſæpe vitioſum ſanguinem continentis, diſcrimen à caua. Quod priſci Medici haud ignorantes, inchoantibus morbis liberaliter ſanguinem detrahebant, raro ter vel quater toto morbi decurſu. Sed variis artificiis nunc exoletis, tentabant in habitum corporis vitium maſſæ ſanguineæ euocare, temperare, & expurgare, per frictiones, ligaturas, dropaces, phœnigmos, ſinapiſmos, percuſſiones, ſudationes, balnea, cornicula, apricationem ad ſolem, pernoctationem ſub dio, gymnaſticam, quorum magnam partem olim adminiſtrabat iatraleiptice, Medicis ſubdita & vectigalis.

NVNC autem cum tota Medicorum induſtria verſetur potiſſimum in ſanguinis eductione, purgatione, & diæta, miniſtris Medicinæ, relictis Chirurgiæ & Pharmaciæ operationibus, quarum tamen directio ad peritos Medicos ſpectat, ob ſanguinis recurſum ad cor, in vſu illorum remediorum, cautiones quaſdam adhibere conuenit. Imprimis venæ ſectio in febribus ardentibus, ab initio debet eſſe larga, & liberalis, tam è ſupernis, quam infernis partibus, ſi plethoricum & robuſtum fuerit corpus, nec inutilis erit venarum manus apertio, ſi venæ pedis tundantur vtiliter, neque reijcienda ſunt malleolorum ſcarificatio, venarum naſi reſeratio, cucurbitularum etiam cruentarum per totum caput admotio, necnon hæmorrhoidum apertio. Purgatio poſt varias, & multiplices, venæ ſectiones, exacto ſeptimo die morbi, febre vtcumque mitigata ſi nulla ſuſpicio inflammati viſceris etiam in zymoſi interponetur, eaque blanda, ſæpius repetita, non intermiſſa venæ ſectione, ſi morbus expoſtulet. Purgatio præcipitata & violenta per metallica, ſiue per os ſiue per aluum teneatur, plus damni quam emolumenti ſemper attulit. Purgatio per externa medicamenta, extremis artubus appoſita, nequaquam repudianda, neque alteratio ſanguinis, quæ in iiſdem locis, per alexipyreta procuratur negligenda, neque cardiaca manifeſtis qualitatibus agentia ſunt omittenda, tam ſumpta, quam admota, iatraleiptice ægris & ſanis neceſſaria, ad vſum Medicum reuocanda. Diæta tenuis & exquiſita, abſtinendo ab omni cibo per duos treſue dies vel alternis diebus parce nutriendo more veterum Medicorum, ſanguinem minuit, vitioſos humores exſiccat, interdum modicè ſanguinem detrahendo & purgando. Quod medendi genus periculoſæ plenum aleæ, requirit Hippocratem ſedulo obſeruatorem, qui non multum ab ægro recedat, vires cum morbo aſſiduè comparando vt labantibus cibo conuenienti ſubueniat. 382.

Ergo propter motum ſanguinis in corde circulatorium, non eſt Mutanda Galeni Methodus medendi.

Proponebat Lutetiæ IOANNES MAVRIN, Annotenſis. A. R. S. H. M. DC. XLV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes Garbes.	*M. Simon le Letier.*	*M. Dionyſius Allain.*
M. Paulus Courtois.	*M. Sebaſtianus Rainſſant Schol. Profeſſor.*	*M. Lazarus Pena.*
M. Petrus Mariau.	*M. Petrus Guenault.*	*M. Iacobus Couſinot, Primarius Regis Chriſtianiſſimi Medicus.*

An propter motum sanguinis in corde circulatorium, Mutanda Galeni Methodus ... - page 1 sur 1